



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica
Recapitvatio**

Molanus, Johannes

Dvaci, 1616

Morinorum conuersio per S. Audomarum.Capvt XIV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9477

Morinorum conuersio per S. Audomarum.

C A P V T X I V .

Sanctus Audomarus moritur episcopus Morinorum, anno sexcentesimo nonagesimo quinto. Velauit sanctam Austrebertam Taruanensem, & Morinos magna ex parte relapsos in idolatriam, ad veram pietatem reduxit.

Suscepit ex Luxouio Burgundię monasterio, vbi monachus fuerat, tres religiosissimos viros, sanctum Bertinum, S. Mommolenum, & Bertramnum, qui officium legationis suæ, labore continuæ prædicationis subibant: Ex his Bertinus anno sexcentesimo nonagesimo octavo, obdormiuit in monasterio suo *sithiu* dicto, quod hodie est celeberrimum monasterium S. Bertini; in oppido S. Audomari, Sanctus Mommolenus vero, obiit episcopus Noniomensis, anno sexcentesimo nonagesimo quarto. Clarebant etiam apud Morinos, sanctus Wlmarus abbas, sanctus Walbertus Comes Arkensis, qui ad Luxouium commigrans, ibi abbas obiit: sanctus Bertulfus confessor in Rentica, & in Artesia iuxta Aream, martyr Venantius.

Præterea sanctus Winocus, frater S. Iudoci, anno sexcentesimo sexagesimo venit ad sanctissimum Bertinum, sub quo in monachatu iugum Domini tulit, à quo etiam ob insignem pietatem & doctrinam in Flandriam est missus, ad prædicandum Christi Euangeliū, & abbas cellæ siue monasterij in Wormhole constitutus: vbi anno septingentesimo decimo sexto migravit, meritis & annis maturus.

Primi